

Abdere, vel parvi subter fastigia tecti,
 Vel densum obscuris in nemus ilicibus,
 Aerias aut in rupes, Solymeia montis
 Quæ jura de Domini cæde cruenta mei
 Mi referant. Illic laxare fræna dolori,
 Atque hoc pro cantu fundere luctificos
 Præstaret gemitus, mista & suspiria crebro
 Singultu: abjectumque, ægrum animi, adtonitum
 Nil fari, sed perpetuo tabescere fletu:
 Qualis sollicito qui lapis in Sipylo
 Usque madet, lacrimas nec cessat fundere falsas,
 Quem subter casu stillicidi adsiduo
 Fons sonat, & rauco trepidans per scrupea saxa
 Murmure nescio quam conqueritur Nioben;
 Magno quam perhibent victam obriguisset dolore,
 Descentem prolis fata cruenta suæ.
 Illa suam flevit prolem; tabescere largis
 Me juvat in Domini cæde mei lacrimis.
 Mi quisquam flendi tam caro in funere leges
 Dicat? mene isthæc tam fera supplicia
 Cernere tam cari capitis, misere nec lamenta,
 Et gemitus imis rumpere pectoribus
 Mærentemque, udumque genas, luctuque furem?
 Quid mater? qua nil dulcius esse potest;
 Illa Dei, illa hominum mater formosa piorum,
 Incassum quæ flet, quæ gemit anxifera
 Curarum sub mole. Tuus, virgo aurea, non me,
 Virgo, tuus non me vulneret iste dolor,
 Possit qui chalybis duram vim frangere? non tu
 Pressa tot ærumnis, non tua progenies
 Hunc animum luctu penitus demergat amaro;
 Exprimat his juges ex oculis lacrymas?
 Atqui bruta etiam tellus concussa fragore
 Ingenti, scisso mœsta sinu, ingemuit;